

Relatio audientiae habitae ab Ablegato⁷⁷ Regis Poloniae in receptione
literarum Sultani e Visirii⁷⁸ datarum ad Regem Poloniae sub 3 Decembbris
1681. Constantinopoli.

Nemo satis mirari potest, qui tantummodo perpendit modum procedendi Portae Ottomanicae, in qua nimirum aestimatione cum evidenti hostilitatis documento ab eadem habeamur. Sat fuse et exacte in nupera mea relatione de traditis Suae Regiae Maiestatis, Domini mei clementissimi, Visirio literis exposui, quo animo fuerint receptae et quid ad puncta instructio-
nis a me proposita responsum fuerit, in praesens vero plura non addo, quam
quod Porta in eadem erga nos perseveret pertinacia, et maioribus in dies
disgustibus nos afficere non desistit, clarum in eodem exhibent documentum
responsa ad tam familiares Suae Regiae Maiestatis literas, quae non modo
ultra spem diutius protracta, sed et supra fidem dolose et sine ullo realitatis
signo conscripta sunt, mera iis complementa inserunt, materias vero de qui-
bus agitur non tangunt et illudunt, dum nos serio nostra vindicare nitimur,
et sole meridiano clarioribus documentis iniurias deducimus, quibus per vi-
lationem capitulationum Czortkovie⁷⁹ nullo iure occupata et per incursio-
nem Tarta[5v]rorum Respublica affecta est, loco responsi de commodis bo-
nae amicitiae duscurrunt et ad conservationem pacis hortantur, de conten-
tanda vero Respublica in suis iustis praetensionibus penitus silent, imo ab-
solute plura loqui prohibent. Quod Czortkoviam damnaque et iniuriam a
Tartaris illatam attinet, dum ad audientiam pro recipiendis literis evocatus
fuissem, antequam ad Visirium devenisset accessit me Tersimam Bassa⁸⁰
cum expresso mandato ne in Aula et in conspectu Verzeris quicquam propo-
nam, sed simpliciter literis non nisi receptis abeam, cui cum respondissem,
ora a nemine mihi comprimi posse in negotiis Suae Regiae Maiestatis et
Reipublicae, quae non modo coram Visirio, sed et ipso Imperatore tractare
debo.

Accepi in responsis, habita semel declaracione vanam esse ulteriorem
dissertationem in iis, quae mutari nequeunt et loco placationis offensio con-
ciliaretur. Per quisivi in quonam Porta placari velit, dum contra capitula-
tionem Czortkoviam occupavit et pro offensa reputet, dum nostra nobis
ablata repetimus, responsum mihi, sic visum Supremo Visirio aliter fieri
non posse, nec me introducere [6r] volebant, donec silentium declararem, co-
gitaveram quidem citra audientiam vacuis manibus ad mea redire, tanti fe-
rendi iugi impatiens prope ad Ragusanum accedentis, vel his nationibus si-

⁷⁷ Samuel Proski.

⁷⁸ Mehmedus IV, Turcarum imperator et Kara Mustafa, magnus vesirus.

⁷⁹ Czortkovie (Czortków), localitas Podoliensis, Turcarum opinione elaietui Cameneciae adnu-
meranda, cum a Polonis respondebatur in sua esse parte Podoliae positam secundum a. 1680 divisio-
nem, cfr Kołodziejczyk, p. 100.

⁸⁰ Alexander Maurocordato (1641-1709), Tersiman bassa, Portae interpres ab a. 1673; cfr *Lexi-
kon für Theologie und Kirche VI*, p. 1501-1502; Piwarski, *Dyplomacja polska w czasach Jana III So-
bieskiego*, p. 29; Wójcik, *Dyplomacja polska...*, p. 291.

mile, quae tributum pendunt, verum reflectens me, ne ex nobis vel minima sit ad offensam occasio, ivi it et ex nutu illorum morem gessi.

Reperi itaque Visirium sedentem in divano, mihi quoque pro more sella data, in qua vix dum pro caeremonia consederim illico me loco moverunt, traditisque literis sine omni boni affectus expressione, erga Suae Regiae Maiestatis personam, quam saltem, vel ex minimo verbo elicere potuisse, sine omni oblatione et tunica vulgo caftan expediverunt.

Mitto in praesens copias dictarum literarum, tam Imperatoris quam Vissirs ad Suam Regiam Maiestatem, originalia vero Dominus Gulczowski⁸¹ brevi adferet, et cum ex interpretatione, quam domi fieri procuravi, perspexisse, qualiter in literis suis Porta mihi titulum Internuntii subtraxerit, et non nisi Residentem appellaverit, suspicione ductus, an forsitan existimat nobis imponere consuetudinem et necessitatem habendi isthac Residentem, notamque habens mentem Suae Regiae Maiestatis, quae semper fuit huic contraria, praecavendo [6v] Reipublicae⁸².

Et de tali onere et obligatione scripsi ad Tersimam Bassam, investigando causam cur mihi titulum Internuntii iuxta literas Suae Regiae Maiestatis subtraxerint, et Residentem, pro quo nullas credentiales habeo, compellaverint, adiuxique simul, quod caractere Residentis apud Portam comparere potuisse, nec aliter quam Internuntius Ordinarius quicquam tractare.

Accessit itaque Tersiman Visirium, accepitque responsum mihi in scriptis submissum, ut me quocumque nomine velim compellem, non requirendo tamen apud Portam oblationes vel largitiones Internuntiis dari solitas, ut pote ad quas Porta nolens se esse obligatam titulum Residentis in literis expresserit, nec ulla solemnitates exercuerit, ne sibi onus quodpiam in tempora longiora duraturum imponeret.

Rescripsi me nullas largitiones affectasse, minusque aestimare honores a Porta recipiendos, sola Suae Regiae Maiestatis, Domini miei clementissimi, contentus gratia, et liberali eiusdem supplemento provisus, titulo vero Internuntii renunciare non licuit, et cum tanto maiori auctoritate dignitati Suae Regiae Maiestatis simul et negotiis Reipublicae servire possim, ad haec addiderunt characterem [7r] susceptum mihi minime tolli, tametsi me nomine Residentis appellaverint, cum ordinarius mos sit, ut omnes tam Legati et Internuntii, quam et Residentes Kapikuay [sic] nuncupentur, difficuler pluribus disputandum fuit cum gente versuta et pertinaci, acquiescendumque fuit titulo Internuntii sine redditibus, quod mihi maiori cessit gloriae apud omnes, quam si maximis honoribus affectus fuisset, hoc unicum me torquet, quod nullam Suae Regiae Maiestati referre possim satisfactionem, et quod ex omnibus Portae actionibus metiar inexplicabile erga nos odium, et (absit fatale omen) quod graviora de nobis meditentur.

⁸¹ Thomas Golczewski, mense Iulio 1681 Constantinopolim, ut litteras Samueli Proski credentiales portaret, missus. Vide et notam 30.

⁸² Cfr N. 625.

Praesentes ab illis datae literae nil aliud sunt, quam ignis sub cinere conditus et ego in fide fidelis subditi praemoneo, morteque mea consignare volo, quod brevi flamma erumpet et infallibiliter nos Porta decipiet, quam primum cum Germanis convenerit. Conveniet autem certo, et haec praeparamenta quibus nunc Germanis minatur, convertet in Polonium nec repudandum pro convincenti in contrarium argumento, quod nunc in Hungaria indirecte aliquid egerit, elucescit brevi Germanos quietem habituros, qui pacem cum Turcis omnino affectant, et pro certo affiramat, quod ad Portam tendat in Legatione quidam [7v] Caprara⁸³, Nepos Generalis exercitus caesarei in Hungaria.

Referunt et id quod Moschi huic se immisceant pacificationi, quodque unice satagant Portam cum Germanis acquietare, hinc tanquam rem certam et indubiam universi celeriorem sperant complanationem, quam nec ipsi Turcae aspernantur, partim praemoniti, vel ex captivis edocti de magnis Germanorum apparatibus, et validis sub Generale Caprara⁸⁴ copiis, partim quod forsan commensuraverint expensas, labores, pericula cum obventionibus, quas ex tam exiguo aliquot millium nudissimorum rebellium numero expectare possint, ac denique quod huius sint inexpugnabilis opinionis, quasi nos Poloni bellum adversus illos iam paratum distulerimus expectando donec cum Germanis novum inchoaverint, et ideo cum iis ad pacem inclinant, ac consilia de nobis agitant. Et cum quis iisdem hanc impressionem iniecerit, quod Gallia nobis consilia suppeditet, mediaque perquirat prius Germanos opprimendi, deinde vero arma nobiscum adversus Turcas bellis exhaustos sociandi, ideo nec Gallis Porta favet, nec illos multum aestimat, imo tractatus cum Tripolensibus in Schio constitutos subscribere et robore detractat, an navibus eorum quidpiam adversi [8r] inferre, vel eos adigere velit ad resarcienda damna ab illis illata, dilationibus cuncta trahit, leporemque (ut aiunt) curru insequitur. Tormenta Turcica tegunt iam Tripolensem naves a Gallicis, ut ipsis amplius damno esse non possint, intuentur se ad invicem, et quisque alterum mora consumere nititur, unde nonnulli arbitrantur, quod M.r du Quesnes, Capitaneus navium Collemani post trimestres tractatus revertetur ingannato⁸⁵.

Audentiam quoque Domino Legato, seu potius sellam in divano Porta huc usque negat, et tam pertinaciter in eo persistit, ut dum Dominus Legatus Gallicus⁸⁶, homo prudens, authoritativus et omni aestimatione dignus, ante suum quatuor dierum apud Chiaus Bassam arrestum Visirium acces-

⁸³ Albertus Caprara (cfr notam 1060), Aeneae Silvii Caprara, imperialium ducis exercituum, familiaris.

⁸⁴ Aeneas Silvius Caprara (1631-1701), nobilis Bononiensis, exercituum dux imperialium, a. 1681 copiis Hungariam missis praeerat, ubi et a. 1683 bello a Turcis illato pugnabat. Saeculo XVII exeunte Vindobonae Consilii Militaris vicepraesidens; cfr *Biographisches Lexicon I*, p. 291.

⁸⁵ Cfr notam 667.

⁸⁶ Cum de Chiotica disputabatur controversia, novae sunt inter legatum Gallicum, de Lavergne comitem, Portamque inimicitiae exortae. Postulabatur enim a comite sella elevata, velut si vesiro magno par esset, quod privilegium iam prius regis Gallici mandatarii denegatum; cfr Eickhoff, p. 316.

sisset, stando audientiam habere debuit, et licet ultimate Galli minentur redditum Legati in Gallias cum tota natione, minime tamen inde Porta monetur, sed sua agit, nec quidquam respicit.

Alia quae referri possint nuntia non occurunt. Persae cum exercitu in finibus Turcarum existunt, quid expectent, ignoratur, et non nisi de frequentioribus ab iis ad Moschos Legationibus constat.

Legatus Moschoviticus necdum [8v] hic comparet, quidam agunt eum in itinere obiisse, alii referunt, quod a nobis Polonis sit retractus, alii denique credunt, nullum prorsus venturum. Ille qui hic moratur Moschorum Ablegatus omnium prorsus ignarus est pro timore incidit in morbum, vix mortem evasurus.

Abaffi⁸⁷ vix placaverat Portam, sed iterum offendit, quod non expectatis mandatis ex Castris Turcicis domum redierit. Germani in Hungaria Moldavis et Turcis non nihil damni iritulerunt, pagosque aliquos igne vastarunt, quod ipsum pro celeriore cum Porta complanatione ipsis adiiciet momentum. Kmieliski⁸⁸ per aegritudinem ex carcere septem turrium evasit, privatus degit, et se sustentat ex eo, quod Mimiroviae [Nimiroviae]⁸⁹ collegit.

Apud Patriarcam Jerosolimitanum midetur iterum agere Religiosum, et hoc unicum exoptat, ut in oblivionem apud Portam deveniat.

Imperator ipse abiit Constantinopoli ad venationes, nec promittit redditum, nisi pro Baierano, id est solemnitate festorum in Februario.

Pestis Galathae⁹⁰ cessavit, Constantinopoli vero augetur, obeunt singulis diebus aliquot centena hominum, imo in domibus Principaliorum iam invalvit, et in ipso Visirii palatio aliquot praetorianorum obierunt.

A. 17.

Memorandum cardinali Cybo de Reipublicae debito apud Scipionem Moriconi contracto propositum

Romae, XII 1681.

Favorem impetrans cardinalis, petit, ut nuntio Poloniae mediante de debito a Republica contracto intercederet, qui nondum solutus. Hac de re iam Franciscum se Martelli monuisse dicit, qui frustra nisus.

⁸⁷ Michael Apafy, dux Transsilvaniae.

⁸⁸ Georgius Chmielnicki, cfr notam 35, p. 381.

⁸⁹ Niemirovia, oppidum Ucrainense, ad Bracлавiam septentrionem situm.

⁹⁰ Galati, oppidum Moldaviense (hodie in Dacoromaniae regione) in ripa Danubii sinistra situm.

Or.: AV, Segr.Stato, Polonia 183A f. 503r. F. 503v: "All'Em.mo e Rev.mo Signore. Il Sig. Card. Cibo. Raccomandato dal Confessore di N.ro Signore. Al Sig. Abbate Ricci. Scipione Moriconi, Nobile Lucchese in Polonia".

Eminentissimo e Rev.mo Signore

Scipione Moriconi⁹¹, nobile Lucchese, devotissimo servo di V.ra Eminenza, essendo altre volte stato favorito dalla sua somma benignità di lettera di raccomandatione all'Ill.mo Mons. Nuntio di Polonia⁹², della quale interponeva con la sua autorità anco la benigna inclinatione della Santità di N.ro Signore, acciò per mezzo di queste operasse efficacemente appresso il Re e la Republica per la restitutione all'Oratore di grossa somma di denaro, da lui imprestatogli per urgenze di guerra, e non havendo detta lettera havuto effetto alcuno, supplica di nuovo V.ra Eminenza d'un altra simil lettera al Nuntio presente, essendo che l'Oratore si ritrovi in estreme angustie, vedendo per questo andare in rovina la sua povera famiglia con perdita della reputazione senza sua colpa alcuna. Di tutto resterà con eterne obligationi alla somma benignità di V.ra Eminenza. Quam Deus.

A. 18.

Processus informativus Stanislai Ioannis Witwicki ad episcopatum Luceoriensem nominati, ab Opitio Pallavicini peractus.

Varsaviae, 3 XII 1681 - 9 I 1682.

In processu Stanislai Ioannis Witwicki, epi Kioviensis, ad episcopatum Luceoriensem, post Stanislai Dąbski ad episcopatum Plocensem translationem vacantem, nominati, examinati sunt testes qui sequuntur: Franciscus Prażmowski, praepositus Gnesnensis, Martinus Protfic, canonicus et concionator Vladislaviensis, Antonius Woiewodzki, Ordinis Praedicatorum conventus Varsaviensis, Bernardus Haur, Ordinis Praedicatorum, Nicolaus Popławski, decanus Plocensis et Varsaviensis, Casimirus Szczuka, abbas Paradisiensis, Sigismundus Otrębusz, cantor Posnaniensis et canonicus Varsaviensis. Sequitur professio fidei a Stanislao Ioanni Witwicki praestita, attestaciones nuntii et notarii nuntiaturae.

⁹¹ Scipio Moriconi, cfr notam 1016.

⁹² Constat hac de re et Franciscum Martelli, Poloniae nuntium a. 1678 a Sede moniri Sancta, cfr notam 1018.

Or.: AV, Arch.Concist., Proc.Consist. 81 f. 359r-368r. In f. 368r decisio Curiae Romanae de Stanislawo Ioanni Witwicki, epo Luceoriensi nominato a Regni Poloniae protectore card. Carolo Barberini et card. Fachinetti, subscripta: "Viso supradicto Processu et contentis in eo, censeo supradictum Rev.mum Dominum S[tanislaum] Vitvoichi [sic], Epum Kioviensem, esse dignum ut transferatur ad Ecclesiam Luceoriensem et Brestensem, illique in Episcopum praeficiatur et Pastorem. Card[inal]lis Carolus Barberinus. Caes[ar] Card[inal]lis Fachenettus, Epus Ostiensis. F. 358v, angulo sinistro superiori: "Ecc[lesia] Luceorien[sis]...Die 12 Mensis Iunii 1682".

IN DEI NOMINE. AMEN.

Processus super vita, idoneitate, caeterisque requisitis Ill.mi et Rev.mi Domini Stanislai Witwicki⁹³, Episcopi Kioviensis, transferendi ad supplicationem Serenissimi Regis Poloniae etc. ad Episcopatum Lucaeoriensem et Brestensem, vacaturum per translationem Ill.mi e Rev.mi Domini Stanislai Dąbski⁹⁴ ad Episcopatum Płocensem, ultimi et immediati Episcopi et Possessoris, nec non super statu Ecclesiae Cathedralis Lucaeoriensis, coram Ill.mo et Rev.mo Domino Opitio Pallavicino, Dei et Apostolicae Sedis gratia Aepo Ephesino et Nuncio Apostolico gestus et fabricatus, tenoris sequentis, videlicet:

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Anno a salutifera eiusdem Incarnatione millesimo sexcentesimo octuagesimo primo, indictione Romana 5.a., die vero mensis Decembris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris et Domini Nostri, Domini Innocentii, Divina Providentia Papae XI, Anno 6.o.

Coram Ill.mo et Rev.mo Domino Opitio Pallavicino, Dei et Apostolicae Sedis gratia Aepo Ephesino, praefati Sanctissimi Domini Nostri, Domini Innocentii XI Praelato Domestico et Assistente, eiusdemque ac Sanctae Sedis Apostolicae ad Serenissimum Ioannem Tertium, Poloniae Regem Potentissimum, totumque Poloniae Regnum et Magnum Ducatum Lithuaniae cum facultatibus Legati de latere Nuncio Apostolico.

Comparens personaliter Ill.mus et Rev.mus Dominus Stanislaus Witwicki, Epus Kioviensis, exposuit optare se ex gratia et benignitate praefati Sanctissimi Domini Nostri, Dni Innocentii Divina Providentia Papae XI, eiusque Sanctae Sedis Apostolicae transferri ad Cathedralem Ecclesiam Lucaeoriensem et Brestensem, vacaturam per translationem Ill.mi et Rev.mi

⁹³ Stanislaus Ioannes Witwicki epus Kioviensis a 12 VI 1679; AV, Arch.Concist., Acta Camerae 23 f. 11v-12r.

⁹⁴ Epi Luceoriensis munere Stanislaus Dąbski 19 X 1676 - 20 IV 1682 periodo fungebatur, dein autem ad Płocensem est translatus dioecesim; cfr BV, Barb.Lat. 2895 f. 293r; 2896 f. 312r. Dies nominati consistoria, ubi propositus, indicant.

Domini Stanislai Dąbski, ultimi et immediati Episcopi et Possessoris, ad Episcopatum Płocensem, deque eadem sibi provideri ad supplicationem Ser.mi Regis Poloniae. Ideo ea qua decet reverentia instetit per Dominationem Suam Ill.mam fieri inquisitionem super vita, moribus et idoneitate sua ac aliis requisitis, tum super statu, situ, qualitate et caeteris circumstantiis eiusdem Cathedralis Ecclesiae Lucaeoriensis, iuxta Sacri Concilii Tridentini decreta et constitutiones felicis recordationis Gregorii XIV ad hoc, ut Sanctitas Sua de his omnibus et singulis bene informata et instructa, possit et valeat pro sua pietate et zelo, circa optimum dictae Ecclesiae statum, totiusque cleri et populi commodum et utilitatem consultius prospicere et providere.

Illustrissimus et Rev.mus Dominus Nuncius Apostolicus antedictus praedicta admisit si et in quantum, et supplicationem huiusmodi iustum et rationabilem attendens, dictum Processum confici, iuramenta e depositiones testium per Dominationem Suam Ill.mam ex officio vocandorum, et super infrascriptis interrogatoriis examinandorum recipi, caeteraque omnia necessaria et opportuna fieri et per me Notarium et Cancellarium infrascriptum rogari, ac omnia et singula in publicam formam et in publicum instrumentum sive documentum redigi mandavit, ut ita reducta suis loco et tempore ad praefatum Sanctissimum Dominum Nostrum Papam transmitti valeant.

Sequuntur interrogatoria data per eundem Ill.mum et Rev.mum Dominum Nuncium Apostolicum.

[359v] ^(a)-[Interrogatoria ex officio facienda testibus secreto vocandis et examinandis super qualitate et requisitis Ill.mi et]^(a) Rev.mi Domini Episcopi Kioviensis, transferendi ad supplicationem Ser.mi Regis Poloniae ad Cathedram Ecclesiam Lucaeoriensem.

1.^{um} An testis cognoscat Ill.mum et Rev.mum Dominum Episcopum Transferendum, quomodo, a quanto tempore, citra, an sit ipsius consanguineus, cognatus, affinis, nimium familiaris, inimicus, aemulus vel odiosus?

2.^{um} An sciat ipsum consecrationis munus suscepisse, et quae sit causa scientiae?

3.^{um} An sciat per quot annos fuerit Episcopus Ecclesiae Kioviensis, et quae sit causa scientiae?

4.^{um} An sciat eum in sua Ecclesia Kioviensis et Dioecesi assidue residere, et quae sit causa scientiae?

5.^{um} An sciat eum diligenter et saepe dictam suam Kioviensem Ecclesiam et Dioecesim visitasse opportune omnibus necessitatibus occurrisse et providisse, eiusque decreta et mandata debitae executioni demandari curasse, et quae sit causa scientiae?

6.^{um} An sciat eum saepe solemniter celebrasse, ordinationes habuisse, iuxta necessitatem exigentium confirmationis sacramentum ministrasse, caeteraque pontificalia exercuisse, et quae sit causa scientiae?

7.^{um} An sciat eum pietatis, charitatis et prudentiae in gubernando specimen dedisse, et verbo et exemplo profecisse, et quae sit causa scientiae?

8.^{um} An sciat eum prudenter ubilibet et diligenter se gessisse, in defendendis, conservandis, protegendis iurisdictionibus spirituali et temporali, iuribus ac bonis omnibus suaे Ecclesiae, et quae causa scientiae?

9.^{um} An sciat vere ea doctrina ipsum adpraesens pollere, quae in Episcopo requiritur ad hoc ut possit alios docere, et quae sit causa scientiae?

10.^{um} An sciat quod eo tempore, quo Ecclesiae, a qua est transferendus, praefuit, et toties quoties debuit, visitaverit Limina Apostolorum Petri et Pauli de Urbe ad formam constitutionis recolenda memoriae Sixti Papae⁹⁵, anno 1585, XIII Kalendas Januarii, Pontificatus sui anno primo editae, et quae ipse Ill.mus Transferendus se visitaturum iuravit in sua consecratione, et quae sit causa scientiae?

11.^{um} An possideat alia beneficia, et qualia, et an dicta beneficia obligent ad residentiam, quales redditus sint, et an ea possideat in titulum an in commendam, pacifice vel an sit litigiosa, et an versaretur praeiudicium alicuius, si ipsi concederetur retentio?

12.^{um} An sciat, quod idem Ill.mus Transferendus adimpleverit omnia decreta, quae in Bullis suaे provisionis fuerunt iniuncta, et quae ex iisdem Bullis debebant colligi. Ut V[estra] I[llustritas] quod sacrarium sacra supellectili instruxerit, vel Ecclesiae Cathedralis seu domus episcopal reparationibus pro viribus incubuerit, aut praebendam theologalem seu poenitentiariam, vel seminarium instituerit, montemque pietatis erigi curaverit, et an similia, quae in praedictis Apostolicis, ut supra, fuerunt praescripta, et quae causa scientiae?

13.^{um} An dignum eum existimet qui transferatur ad Ecclesiam Cathedralem Lucaeoriensem, et an censeat eius translationem ipsi Cathedrali Ecclesiae Lucaeoriensis utilem et proficuam, et quare ita censeat et existimet?

Interrogatoria super statu Ecclesiae Lucaeoriensis.

[360r] 1.^{um} An Testis ^(a)-[sciat in qua provincia sita sit]^{-a)} Civitas Lucaeoriensis, ^(a)-[cuius qualitatis et magnitudinis sit, quot completerit domibus, a]^{-a)} quot Christi fidelibus habitetur, cuius dominio in temporalibus subiaceat, et quae sit causa scientiae?

2.^{um} An sciat in illa civitate esse Ecclesiam Cathedralem, sub qua invocatione, cuius structurae et qualitatis, an aliqua reparazione indigeat, et quae sit causa scientiae?

3.^{um} An sciat cui Episcopo sit suffraganea, et de causa scientiae?

4.^{um} An sciat quot et quales sint in dicta Ecclesia dignitates et canonici-
tus, et alia beneficia ecclesiastica, et quis sit numerus presbyterorum et cle-

⁹⁵ Sextus V (Felix Peretti, 1520-1590), ab a. 1585 pontifex maximus. Bulla *Romanus Pontifex Beatissimi* die 20 XII 1585 de visitationis ad limina ab archiepiscopis, episcopis aliisque praelatis facienda data officio; cfr *Bullarium Romanum* VIII, p. 641-645.

ricorum ibi in Divinis inservientium, quae sit dignitas maior post pontificalem, qualis sit redditus canonicatum et aliorum beneficiorum, et an adsit praebenda theologalis et poenitentiaria, et quae causa scientiae?

5.^{um} An in ea cura animarum exerceatur, an sit in ea fons baptismalis, et de causa scientiae?

6.^{um} An habeat sacrarium sufficienter instructum sacra supellectili, caeterisque rebus ad Divinum cultum, ac etiam ad Pontificalia exercenda necessariis: chorum, organum, campanile cum campanis, caemeterium, et quae sit causa scientiae?

7.^{um} An sint in ea corpora vel aliquae insignes reliquiae Sanctorum, quomodo asserventur, et quae causa scientiae?

8.^{um} An habeat domum pro Episcopi habitatione, ubi et qualem, quantum distat ab Ecclesia, et an reparatione indigeat, et quae sit causa scientiae?

9.^{um} An sciat valorem reddituum mensae episcopalnis, ad quam summatum annuatim ascendunt, in quibus consistunt, an sint aliqua pensione onerati, ad cuius vel quorum favorem dicta pensio est reservata, et quae sit causa scientiae?

10.^{um} Quot existunt in dicta civitate ecclesiae parochiales, et an unaquaque habeat fontem baptismalem, quot item existunt in illa collegiae, quot monasteria virorum et mulierum, quot confraternitates et hospitalia, et an ibi sit mons pietatis, et quae sit causa scientiae?

11.^{um} Quantum sit ampla Dioecesis Lucaeoriensis, quot et quae loca complectitur, et quae causa scientiae?

12.^{um} An in ea erectum sit seminarium, quot in eo alantur pueri, et quae causa scientiae?

13.^{um} An ipsa Ecclesia vacet, quomodo, a quo tempore, citra et quae causa scientiae?

[360v] Die 9.a Decembris [1681]

Examinatus fuit per Ill.mum et Rev.mum Dominum Nuncium Apostolicum suprascriptum in camera solitae audientiae suaे Ill.mae et Rev.mae Dominationis

Perillustris et Rev.mus Dominus Franciscus Prażmowski⁹⁶, Secretarius Regni Maior, Gnesnensis, Cracoviensis Praepositus, Scholasticus Płocensis, Abbas Sieciechoviensis, Praesidens Tribunalis Regni, aetatis suaे annorum 46, ut asseruit, testis ex officio vocatus et per Dominationem Suam Ill.mam et Rev.mam secreto examinatus, qui delato iuramento veritatis dicendae, prout in manibus Dominationis Suae Ill.mae et Rev.mae tactis etc. iuravit

⁹⁶ Franciscus Prażmowski, cfr notam 537. Ante 3 XI 1658 scholasticus electus Płocensis, die 20 III 1668 a Nicolao fratre abbatia Sieciechoviensi, dein autem et collegiae praepositura sancti Michaelis in Arce Cracoviensi donatus. Ab mense Aprili a. 1668 praepositus etiam Gnesnensis; cfr A. Przyboś, *Prażmowski Franciszek*, in: PSB XXVIII, p. 378-379.

etc. ad oportunas interrogations super statu Ecclesiae Cathedralis et Dioecesis Lucaeoriensis dixit et depositus, prout infra, videlicet:

Ad 1.^{um} R[espondit]. Civitas Lucaeoriensis sit est in Provincia Leopolien-sis, mediocris est inter civitates, numerum domorum, quibus conflatur, nescio in ea, quantum scio non habitant, nisi Christi fideles, Judaeis exceptis, non omnes sunt catholici, imo ex magna parte sunt schismatici, in tempora-libus subiacet Suae Regiae Maiestati, Regnique Poloniae est, et haec omnia scio, ex quo Fratrem⁹⁷ habui Lucaeoriensem Episcopum, et ego fui Praepos-i-tus illius Cathedralis olim.

Ad 2.^{um} In civitate Lucaeoriensi sita est Ecclesia Cathedralis magnifica-e structurae, meo tempore nulla reparazione indigebat, an modo indigeat ignoro, bene quidem audivi fulmine fuisse tactam, utrum autem damna sint resarcita, ignoro.

Ad 3.^{um} Ecclesia Lucaeoriensis cum Brestensi unita subsunt tanquam Archiepiscopo et Metropolitano Archiepiscopo Leopoliensi.

Ad 4.^{um} In Ecclesia Lucaeoriensi 4 sunt dignitates: praepositura, deca-natus, scholasteria et custodia, 20 circiter sunt canonici, sunt etiam aliqua beneficia ecclesiastica, quorum redditus vel amissi vel diminuti sunt propter devastationem locorum factam a Cosacis, et quia patent incursionibus Tar-tarorum, unde est quod cultura valde deficiat, possunt esse 12; vel circiter isti minores beneficiati, aliqui sunt clerici, qui inserviunt Ecclesiae, quos tamen alunt aliqui canonici, maior dignitas post pontificalem est praeposi-tura, eidem est unita altera praepositura Brestensis, unde creverunt redi-tus, qui modo aestimantur ascendere ad bis mille florenos pravae [sic] mo-netae, et ut vulgo dicitur sielagorum. Reditus aliarum dignitatum nescio, in particuliari et determinate aliqui ascendunt ad mille quingentos, aliae ad minus, canonici cum resident, habere possunt octingentos vel noningentos florenos, ut supra, beneficiati minores centum quinquaginta ex similibus. Praebenda theologalis adest, non sic poenitentiaria, quae scio ex causis dic-tis supra.

Ad. 5.^{um} Cura animarum exercetur in Cathedrali per vicarios, in ea etiam est fons baptismalis, quae scio ut supra.

Ad 6.^{um} Sacrarium Ecclesiae meo tempore, nempe ante 10 annos circiter non erat instructum abundanter sed exigue, quod evenerat, ex quo tempo-ribus bellorum cum Suecis, Cosacis, et Moschis fuerunt praecipua direpta, ideoque caritas erat omnis supellectilis, tam pro quotidiano usu minorum sacerdotum, quam pro solemni et pontificalibus. Chorus adest et organum, campanile cum campanis, caemeterium clausum ex parte muro, ex aliqua parte ligneis repagulis, quae scio ex causa praedicta.

⁹⁷ Nicolaus Prażmowski (1617-1673), Francisci frater, epus Luceoriensis a. 1659-1669, primatis officio ornatus a. 1666-1673; cfr A. Przyboś, *Prażmowski Mikołaj*, in: PSB XXVIII, p. 382-389.

Ad 7.^{um} Sunt in ea Ecclesia aliquae insignes reliquiae decenter asservatae in capsulis ligneis [361r] deauratis, quae scio ex causis superius allegatis.

Ad 8.^{um} Lucaeoriae vix remanent rudera domus episcopalnis, etenim Cosaci eam devastaverunt, cum civitate sunt potiti, et eam tenuerunt, modo Episcopi habitare solent Janoviae⁹⁸, quod est oppidum spectans ad Dioecesim Brestensem, ubi habent habitationem, satis tamen exiguum, ego ibi fui ante sex annos, et eo tempore erat in satis bono statu, et ut mihi videbatur, non habebat opus reparatione aliqua, quae omnia et singula scio ut supra, et ut dixi hic.

Ad 9.^{um} Cum meus Frater possessionem accepit illius Ecclesiae, reditus erant valde exigui, proxime enim acciderant devastations superius dictae, tenuit ipse Ecclesiam octo vel novem annis circiter, et his postremis temporibus audivi, quod fere sedecem millia florenorum sielungorum in totum annum perciperet, qualis sit valor modo ignoro, possent quidem bona Ecclesiae ex parte meliorari, ea tamen quae sunt in Volhynia, non sunt apta, quae meliorentur, subiacent enim excursionibus Tartarorum et Cosacorum, nulla pensione gravatur Ecclesia, quae scio ex causa dicta.

Ad 10.^{um} In civitate Lucaeoriensi sunt aliquae parochiales, quae spectant a catholicos, praeter Cathedralem, quae parochiales quot sunt et an habeant fontem baptismalem ignoro, non memini enim nisi in genere aliquas esse, collegiata ibi nulla. Monasteria virorum sunt sequentia: Patrum Societatis Iesu⁹⁹, Dominicanorum¹⁰⁰ et S.ti Francisci¹⁰¹. Monialium monasteria sunt unum Brigittanarum¹⁰², aliud ut puto S.ti Dominici, meo tempore quidem non erat, sed quia aderant bona monasterii, quod olim fuerat, puto hoc monasterium revixisse. Confraternitates ibi aliquae, quae tamen non induunt saccos, hospitalia aliqua pro senibus, quorum numerum ignoro. Mons pietatis erectus non est, quae omnia et singula mihi sunt nota ex causis superius allegatis.

Ad 11.^{um} Amplitudo Dioecesis Lucaeoriensis maxima est, et ex maioribus nostri Regni, meus Frater considerando eius amplitudinem unde difficulter sufficit unus suffraganeus, cogitabat rogare Sanctam Sedem, ut alter ipsi concederetur. Loca praincipia sunt in Volhynia Lucaeoria, Vladimiria¹⁰³,

⁹⁸ Ianovia Podlachiensis, tune oppidum, nunc pagus tantum, ab a. 1423 eporum residentia Lucaeoriensium.

⁹⁹ Societas Iesu collegium Luceoricense, epi Martini Szyszkowski fundatio a. 1612; cfr SGKP V, p. 779.

¹⁰⁰ Conventus ecclesiaeque ordinis Praedicatorum Luceorensis titulo Assumptionis BMV a rege Vladislao Jagiełło fundati a. 1390. Hic primus est Ordinis in Volinia conventus; Woyniak, p. 60.

¹⁰¹ Bernardinorum conventum Luceorensem ad ecclesiam Sanctissimae Crucis structum Luceorensis iudicis uxor terrestris Agneta Staniszewska a. 1645 fundavit; cfr Woyniak, p. 30-31.

¹⁰² Brigittanarum (Ordinis Sanctae Brigittae) conventus Luceoriae a. 1624 fundatus.

¹⁰³ Luceoria, oppidum in Volinia ad Styrae ripam positum, ab a. 1427 sedes episcopalnis. Vladimiria (Lodomeria), oppidum ad Luceoriae occidentem situm, olim principum sedes, episcoporum sedes usque ad a. 1427.

in Lithuania Bresta¹⁰⁴, ista sunt loca celebria, caeterum habet multa alia loca minora, tam in dictis Provinciis, quam in Palatinatu Podlachiae.

Ad 12. Nullum seminarium est in utraque Dioecesi, bene in ipsis sunt collegia aliqua Societatis, ubi pueri instruuntur et addiscunt artes et scientias, quae scio ex causis supradictis.

Ad 13. Ecclesia Lucaeoriensis vacabit si Sanctissimo placuerit transferre Ill.mum Dominum Episcopum Stanislaum Dąbski, qui modo illi Ecclesiae praeest, ad Ecclesiam Płocensem, pro qua translatione audio fuisse propositum in Consistorio¹⁰⁵.

Franciscus Prazmowski, Secretarius Regni Maior, Gnesnensis, Cracoviensis Praepositus, Scholasticus Płocensis, Abbas Sieciechoviensis, Praesidens Tribunalis Regni, attestor supra pro veritate.

Die eadem [9 XII 1681]

[361v] Examinatus fuit per eundem Illustrissimum quem supra, ubi supra.

Admodum Rev.dus Dominus Martinus Protfic¹⁰⁶, sacrae theologiae Doctor, Canonicus et Concionator ordinarius Vladislaviensis, aetatis suae anno rum 43, ut asseruit, testis ex officio vocatus et per Dominationem Suam Ill.mam et Rev.mam secreto examinatus, cui delato iuramento veritatis dicendae, prout in manibus eiusdem Ill.mi et Rev.mi Domini tactis etc. iuravit etc. ad oportunas interrogationes super statu Ecclesiae Cathedralis et Dioecesis Lucaeoriensis dixit et depositus, prout infra, videlicet:

Ad 1.^{um} Audivi Lucaeorię sitam esse in Provincia Podlachiae, sed ego nunquam fui ibi, et praeter notitiam redditum illius Ecclesiae, qui mihi comperti sunt tanquam Auditori praesentis Illustrissimi, de illis rebus non possum dare informationem reddendo causam scientiae congruam.

Ad 9.^{um} R[espondit]. Fructus redditum mensae episcopalnis Lucaeoriensis de praesenti ascendunt ad viginti millia florenorum sielungorum, cum in tali summa fuerint locata bona Ecclesiae, et omnes reditus spectantes ad mensam, exceptis aliquibus bonis, quorum fructus ascendere possunt ad bis milie florenos, et hoc scio, quia audivi ab Ill.mo Episcopomet ante paucos dies.

Ita deposui pro veritate Martinus Protfic, Sacrae Theologiae Doctor, Canonicus et Concionator Ordinarius Vladislaviensis. etc.

¹⁰⁴ Brestia Lithuaniae.

¹⁰⁵ Praeconizatus est tantum Stanislaus Dąbski ad dioecesim Płocensem (die 28 VII 1681), in consistorio autem die 20 IV 1982 propositus: cfr BV, Barb. Lat. 2896 f. 112v, 312r.

¹⁰⁶ Martinus Protfic (Protficz, ca 1638-1700), sanctae doctor theologiae, quem titulum Academia in Cracoviensi obtinuit 9 III 1676, canonicus praedicatorque Vladislaviensis, ecclesiae Vladislaviensis sancti Adalberti titulo parochus, quam ecclesiam a. 1692 imo reconstruxit; cfr Barycz, *Metryka...*, p. 191; Morawski, *Monografia Włocławka*, p. 292; *Dzieje teologii katolickiej II/2*, p. 525.

Die 30 Decembris.

Examinatus fuit per Ill.mum et Rev.mum Dominum, quem supra, ubi supra.

Reverendus Pater Antonius Woiewodzki, sacrae theologiae Praesentatus, Concionator Varsaviensis Ordinis Praedicatorum, aetatis 58 annorum, ut asseruit, testis ex officio vocatus et per Dominationem Suam Ill.mam et Rev.mam secreto examinatus, cui delato iuramento veritatis dicendae, prout in manibus eiusdem Ill.mi et Rev.mi Domini tactis etc. iuravit etc. ad oportunas interrogationes super statu Ecclesiae Cathedralis et Dioecesis Lucaeoriensis dixit et depositus, prout infra.

Ad 1.^{um} Civitas Lucaeoriensis sita est in Provincia Volhyniae, mediocris est, ducentas domos fere numerat, habitat a Christianis et Judeais, Christiani ex magna parte sunt schismatici, Regi subest, et haec omnia scio, quia ibi per septem annos studui.

Ad 2.^{um} In civitate Lucaeoriensi est Cathedralis sub invocatione Salvatoris, structura eius magnifica non est, puto, quod reparatione non indiget, nisi forsan in tecto, ego sane ab octo annis ibi non fui, nihilominus sic iudico, quia video Ecclesiam istam bene esse constructam, unde detrimentum solum potest esse in tecto.

Ad 3.^{um} Ecclesia Lucaeoriensis est suffraganea Leopoliensis.

Ad 4.^{um} In Ecclesia Lucaeoriensi quinque sunt dignitates. Prima praepositura, decanatus, archidiaconatus, scholasteria et custodia. Canonici sunt 12, sed dignitates sunt canonici 11, erant minores beneficiati, sed quia defecerunt reditus modo non adsunt. Clerici meo tempore aderant, modo non sunt, reditus horum et singulorum omnium mihi non sunt comperti, adest modo canonicus, qui est theologus, dubito tamen an sit praebenda erecta in theologalem. Poenitentiaria non est, quae scio ex causa supradicta.

Ad 5.^{um} In Ecclesia Cathedrali non est cura animarum, est tamen prope.

[362r] Ad 6.^{um} Ecclesia Lucaeoriensis habet omnia necessaria ad cultum Divinum, etiam pro pontificalibus, ita ut potius abundet, habet organum minus, maior enim destructum est a Cosacis, habet campanile cum campanis, et caementarium muratum, quae scio quia vidi.

Ad 7.^{um} In dicta Ecclesia sunt aliquot insignes reliquiae, quorum nomina nescio, servantur in thecis ligneis, et forsan est caput, quod servatur in theca argentea, non tamen bene memini. Et haec scio, quia vidi.

Ad 8.^{um} Lucaeoriae adest domus pro habitatione Episcopi, et murata contigua Ecclesiae, non est magna, sed sufficiens pro Episcoporum residenzia, credo quod reparatione indigeat, quia Cosaci destruxerunt portas, fenestras et fornaces, et scio quia vidi.

Ad 9.^{um} Ecclesia Lucaeoriensis ante invasionem Cosacorum erat magni reditus, sed propter dictam invasionem passa ingens detrimentum, licet enim terrae stent, sed deficiant coloni inde abstracti et in captivitatem ducti, vel non coluntur ex parte vel non coluntur, ut oportet, inde est quod modo

meo iudicio valor Ecclesiae illius decrevit in duabus tertiiis partibus, et communiter audivi dici, quod in totum descendant ad florenos viginti mille circiter pravae monetae, hi fructus percipiuntur ex terris, nescio Ecclesiam illam ulla pensione gravatam, et haec praedicta scio, quia ut dixi studui ibi et fui Prior in partibus vicinis.

Ad 10.^{um} Una tantum parochialis est catholicorum vel plures schismaticorum, illa catholicorum est sub invocatione S.ti Iacobi, habetque fontem baptismalem, Lucaeoriae nullae sunt collegiatae, conventus virorum sunt 4. Noster, Jesuitarum, Bernardinorum et Fratrum Boni Fratelli¹⁰⁷, unum tantum est monasterium mulierum Ordinis S.tae Brigittae, adest Confraternitas Rosarii et nulla alia, quod ego [scio]^{a)}, adest hospitale S.ti Lazari et S.ti Spiritus, non tamen mons pietatis, et haec scio, quia vidi.

Ad 11.^{um} Dioecesis est valde ampla in Volhynia, Olyka, Dubnow¹⁰⁸, et alia in Lithuania, Bresta in Podlachia, Janovia, Sokolovia, Węgrovia¹⁰⁹, aliaque oppida, et haec scio ex causa praedicta.

Ad 12.^{um} Lucaeoriae nullum est seminarium, bene sunt Patres Jesuitae, qui habent ibi Academiam, et haec scio, quia vidi.

Ad 13.^{um} Ecclesia Lucaeoriensis non vacat, sed vacatura brevi est, si Sedes Apostolica transferat, ut creditur, Ill.mum Dąbski de praesenti Episcopum et iam propositum in Consistorio ad Ecclesiam Płocensem.

Frater Antonius Woiewodzki, Sacrae Theologiae Praesentatus, Concionator Domus Varsaviensis, Ordinis Praedicatorum mpp.

Die 2.a Januarii 1682.

Examinatus fuit per quem supra, ubi supra.

Reverendus Frater Bernardus Haur, Ordinis Praedicatorum, aetatis suae annorum 65, ut asseruit, testis ex officio vocatus et per Dominationem Suam Ill.mam et Rev.mam secreto examinatus, cui delato iuramento veritatis dicendae, prout in manibus eiusdem Ill.mi et Rev.mi Domini tactis etc. iuravit etc. ad oportunas interrogations super statu Ecclesiae Cathedralis et Dioecesis Lucaeoriensis dixit et depositus, prout infra, videlicet:

Ad 1.^{um} Civitas Lucaeoriensis sita est in Russiae Provincia vocata Volhynia, civitas magna utcunque est, et licet praecisum numerum populi non sciam, putem tamen [362v] ascendere ad bis mille circiter familias, quorum maxima pars Haebrei sunt et schismatici, pauci vero catholici, in tempora-

¹⁰⁷ Ordo Hospitalarius sancti Ioannis de Deo, cuius fratres a. 1639 Luceoriam ducti, anno tantum 1647 a comitiis Varsaviensibus probata, *Encyklopedia Katolicka* II, p. 800; VL III, p. 135.

¹⁰⁸ Olyka, oppidum ad Luceoriae orientem locatum, familiae Radziwiłł praedium. Ecclesia Sanctissimae Trinitatis titulo a. 1640 structa, a. 1641 collegiatae dignitate ornata. Dubno, oppidum ad Ikwa flumen, a dextera Styrae affluens, ad Luceoriae orientem australi posatum, ordinationi Ostrogiensi adnumerabatur; cfr SGKP VII, p. 527-529.

¹⁰⁹ Sokolovia Podachiensis, oppidum prope Siedlce, inter Węgroviam Drohiczyniamque positum. Węgrovia, oppidum Podachiense, ad Liwiec fluminis ripam dexteram, quod a sinistra in Bugam affluit.

libus subiacet Reipublicae Poloniae, quae scio quia multoties fui in illa civitate.

Ad 2.^{um} Civitas haec Ecclesiam habet Cathedralem sub invocatione, ni fallor, S.ti Salvatoris, non est tamen magnificae structurae, quod sciam, tamen non indiget reparatione, cum ab aliquo tempore fuerit reparata, quod similiter scio, quia fui in Ecclesia, et alias est notorium, quod illa Ecclesia sit Cathedralis.

Ad 3.^{um} Ecclesia Cathedralis Lucaeoriensis recognoscit Archiepiscopum Leopoliensem tanquam suum Metropolitanum, et hoc est notorium in illis partibus.

Ad 4.^{um} Ecclesiae praedictae dignitates 5 sunt, scilicet praepositura, archidiaconatus, decanatus, custodia et scholasteria, et praeter istos sunt 7 canonici, in universum 12 constituentes canonicos, sunt praeterae aliqua beneficia in dicta Ecclesia vicariae vel mansionariae nuncupata, et ni fallor sunt 6 vel 7. Numerus autem clericorum et presbyterorum in Divinis ibidem deservientium consistit in supradictis 12 canonicis, et sex vel septem mansionariis, et adhuc duo vel tres clerici minorum ordinum, qui serviunt sacro et iuvant in cantu. Maior dignitas in dicta Ecclesia post pontificalem est praepositura, redditus autem dignitatum, canonicatum et beneficiorum praedictorum, prout et an adsit praebenda theologalis vel poenitentiaria non scio; quae omnia scio ex eo, quod fuerim saepius in dicta civitate, istaque audivi et alias in illa civitate sunt notoria.

Ad 5.^{um} In praedicta Ecclesia cura animarum exercetur, et fons ibi est baptismalis, quod scio ex quo fontem viderim praedictum, et sacramenta administrari.

Ad 6.^{um} Sacrarium praedicta Ecclesiae est egregie instructum supellec-tili, rebusque caeteris ad Divinum cultum et pontificalia exercenda neces-sariis, chorum habet et organum, campanile cum campanis, nec non et cae-meterium, quae mihi constant ex frequenti accessu, quem habui ad illam Ecclesiam.

Ad 7.^{um} Habet Ecclesia praedicta nonnullas reliquias, quae servantur in capsulis ligneis, et aliqua, quae in Cruce portantur, quae scio, ex quo vide-rim illas.

Ad 8.^{um} Habet praeterea civitas Lucaeoriensis domum pro Episcopi habitatione prope imo contiguam Ecclesiae Cathedrali praedictae, domus illa indigeret aliqua reparatione, cui ^{b)}indigentiae putem posse _{b)}suppleri sumptu mille florenorum, ad hoc ut sufficienter habitetur, caeterum ad integrum reparationem aliquot millia desiderarentur, sed non est securum, quod ha-bitent ibi Episcopi, cum Tartari, cum Cosacis frequenter faciant incursions, unde et nos etiam saepe cogimus aufugere ex nostro Conventu et nos recipere in loca tuta, et haec scio, quia domum vidi, et ibi fui cum Patre Pro-vinciali saepius manendo per alias hebdomas aliquando plus, aliquan-do minus.

Ad 9.^{um} Audivi communiter dici, quod reditus episcopales ascendant ad 18 vel 20 millia florenorum sielungorum, consistunt in proventibus oppidorum, pagorum, tabernis, vivariis et similibus, ex quibus tenet suam aulam, et similia, de pensionibus autem nihil scio, pro ratione scientiae, quia audivi tales esse reditus et in eisdem consistere proventibus.

Ad 10.^{um} Praeter Cathedralem Ecclesiam, alia etiam est, ubi cura parochialis exercetur sub invocatione S.ti Jacobi, et fontem habet baptismalem, et proprium rectorem [363r] parochiale, qui vocatur praepositus. Collegiata Ecclesia nulla est, virorum monasteria plura sunt, nempe Patres Dominicanorum, Patres Observantiae vulgo S.ti Francisci vulgo Bernardinorum, nec non et Fratres Beati Joannis Dei vulgo Bonifratelli, et praeter Collegium Patrum Societatis Jesu; quantum ad virgines, sunt ibi Moniales S.tae Brigittae, hospitale unum in civitate est, apud Bonos Fratello, quo vero ad montem pietatis nil mihi constat, sunt plures aliae domus, ubi habitant asserti monachi et monachae schismaticorum, prout et alia hospitalia pro illis, quae omnia scio, quia saepe lustravi dictam civitatem, ibidemque pluries conversatus.

Ad 11.^{um} Dioecesis Lucaeoriensis vastissima est, una tamen eiusdem pars occupatur a Tartariis et Cosacis nomine Turcarum, non scio tamen praecise latitudinem et extensionem dictae Dioecesis. Loca praincipua sunt Corsin¹¹⁰ in Volhynia, Dubno, Olyka et Vlodimiria, Bresta in Lithuania, Janow et alia multa; pro causa scientiae ista omnia dixit esse notoria.

Ad 12.^{um} In civitate Lucaeoriensi non est seminarium, sunt tamen schole, ubi pueri instruuntur propriis familiarum sumptibus, quod scio, ex quo vidi et audivi.

Ad 13.^{um} Ecclesia Lucaeoriensis non vacat, quod ego sciam.

Ita deposui pro veritate Fra Bernardus Haur, Ordinis Praedicatorum mpp.

Die 3.a Januarii.

Examinatus fuit per Ill. mum et Rev.mum Dominum, quem supra, ubi supra.

Perillustris et admodum Rev.dus Dominus Nicolaus Poplawski, Decanus Plocensis et Varsaviensis, aetatis suaee annorum 44, ut asseruit, testis ex officio vocatus et per Dominationem Suam Ill.mam et Rev.mam secreto examinatus, cui delato iuramento veritatis dicendae, prout in manibus eiusdem Ill.mi et Rev.mi Domini tactis etc. iuravit etc. ad oportunas interrogations super idoneitate et requisitis Ill.mi Domini Transferendi dixit et depositus, prout infra, videlicet:

¹¹⁰ De Korzec (Russice Korec) oppidulo forsitan sermo, quae localitas ad Luceoriae austrum posita. Possibile et Kozin oppidum intendi, similiter Luceoriae australis.

Ad 1.^{um} Cognosco Ill.mum et Rev.um Stanislaum Witwicki, Episcopum Kioviensem, ab annis 15 circiter in Aula Ill.mi Archiepiscopi Gnesnensis¹¹¹, cum tunc temporis rederet ex exteris peregrinationibus, non sum eius consanguineus, cognatus, affinus nimis familiaris, multo minus inimicus, aemulus vel odiosus.

Ad 2.^{um} Non fui praesens suae consecrationi, sed bene vidi eum exercenter plures actus ordinis episcopalnis, praeterea de eiusdem consecratione adest publica vox et fama.

Ad 3.^{um} Tres anni circiter sunt, ex quo agit Episcopum Kioviensem, quod scio quia est noster Capitularis.

Ad 4.^{um} Non resedit in sua Dioecesi, prout nec suus Praedecessor¹¹², vir piissimus, qui abdicat Episcopatui et modo est Pater Societatis Iesu, ex sua Dioecesi parum sibi remanet, cum Moschi fere omnia occupaverint, audivi esse unum oppidum, quod vocatur Fastow in illis confinibus, ego opinor, quod ibi non esset securus, et arbitror, quod non posset sine periculo adire et redire ad Aulam, cum opus est pro munere suo senatorio.

Ad 5.^{um} Non potuit visitare personaliter, cum ibi non fuerit, et caeteris se nescire.

Ad 6.^{um} Ego vidi saepius Ill.mum Dominum ordinantem et celebrantem pontificaliter et confirmationis sacramentum ministrantem iis ordinandis, qui eo carebant.

[363v] Ad 7.^{um} Praelatus mihi videtur pius, cum videam eum quotidie in Ecclesia vel celebrantem vel audientem sacrum, hospitalis etiam erga reliquios, prudens et singularis iudicii et boni exempli et verbo, et scripto proximo iuvans, audivi enim eum concionantem, et edidit aliquos libellos pios lingua nostra materna, scripsit etiam multa politice concernentia Reipublicae statum, et conferentia ad bonum religionis, quod promovit Gedanis annis praeteritis tempore quo haeretici debacchaverunt occasione supplicium notarum.

Ad 8.^{um} Quid egerit in sua Dioecesi mihi ignotum est, sed res illa non est multi momenti, certe in Comitiis Generalibus postremo habitis, et sermonibus, et consiliis bene defendit immunitatem ecclesiasticam, quod scio, quia ipsem fui praesens.

Ad 9.^{um} Illustrissimus D.nus Episcopus habet ingenium egregium, ne scio studia quae fecerit, cum studuerit in exteris regionibus, ex discursu quem facit in omnia materia, ego colligo ipsum esse sufficienter doctum ad munus suum episcopale bene gerendum.

Ad 10.^{um} Se nescire.

¹¹¹ Nicolaum Prażmowski, aepum Gnesnensem a. 1666-1673, forsitan intendit.

¹¹² Thomas Ujejski (1613-1689), a. 1650-1678 canonicus Varmiensis, praepositus Varmiensis a. 1652-1677, epus Kioviensis a. 1656-1677 in Varmensi morabatur regione suffraganei munere fungens. Sede Apostolica favente a. 1677 Societatem Iesu intravit. Vilnae novitiatus tempore moratus ibidem vota tulit ac quinque per annos professuum residentiae Vilnensi est praepositus; Szostkiewicz, p. 577; Eichhorn, *Die Prälaten...*, p. 328-333; Korytkowski, *Prälaci...* IV, p. 184-185.

Interrogatus an Ill.mus Dominus possideat alia beneficia, et qualia, et an dicta beneficia obligent ad residentiam, quales reditus sint, et an ea possideat in titulum an in commendam, pacifice vel non, an sint litigiosa, et an versaretur praeiudicium alicuius, si ipsi concederetur retento r[espondit]:

Ad 11.^{um} Praeter Episcopatum habet Abbatiam Płocensem Ordinis S.ti Benedicti, cuius est Commendatarius, Praeposituram Ołyensem, Canonicum Varsaviensem, et nescio an amplius habeat Canonicatum Gnesensem¹¹³, Abbatiam puto non obligare ad residentiam, quoad Praeposituram praetendunt Poloni non obligare, sed res penes me habet difficultatem, licet videam communiter non residere. Canonicatus non obligant ad residentiam in Polonia, nisi causative. Reditus Abbatiae possunt ascendere his temporibus ad 12 millia florenorum sielungorum circiter. Praeposituram audivi ascendere ad 3 millia, in Canonicatu Varsaviensi qui residet, potest habere 300 florenos, sed Illustrissimus non percipit, nisi parum, cum raro interveniat in choro, ut Canonicus, praeter Abbatiam omnia habet in titulum, fruiturque pacifice, ego non praevideo quod futurum sit praeiudicium alicui, si Sanctissimus aliquam retentionem concederet.

Ad 12.^{um} Se nescire decreta apposita in bullis provisionis Ecclesiae Kioiensis. Caeterum cum Ecclesia Kioensis sit sub iugo schismaticorum, videtur deficere praecipua ex defectu materiae, maxime cum nulla remaneat ecclesia collegiata, et residuum Dioecesis, quod remanet, sit parvum.

Ad 13.^{um} Spero, quod transitus Illustrissimi ad Ecclesiam Lucaeorientem futurus sit illi Ecclesiae utilis et mihi videtur, quod mereatur transferri, iuxta illud: Euge semper bone et fidelis, quia super parva fuisti fidelis, supra multa te constituam, quae existimo ex rationibus praedictis.

Ita deposui pro veritate. Nicolaus Popławski, Decanus Płocensis et Varsaviensis mpp.

Eadem die [3 I 1682].

Examinatus fuit per Ill.mum et Rev.mum Dominum, quem supra et ubi supra.

Perillustris et Rev.mus Dominus Casimirus Szczuka¹¹⁴, Abbas Paradisiensis, aetatis suae annorum 50, ut asseruit, testis ex officio vocatus et per Dominationem Suam Ill.mam [364r] et Rev.mam secreto examinatus, cui delato iuramento veritatis dicendae, prout in manibus eiusdem Ill.mi et Rev.mi Domini tactis etc. iuravit etc. ad oportunas interrogations super

¹¹³ Ioannes Stanislaus Witwicki a. 1665-1676 canonicus Gnesnensis (qua dignitate resignatus), ab a. 1676 Benedictinorum abbas commendatarius Płocensem, ab eodem anno et praepositi infulati Olicensis fungebatur munere canonique Varsaviensis; Korytkowski, *Prłaci...* IV, p. 321-324; Nowacki II, p. 108.

¹¹⁴ Casimirus Szczuka, cfr notam 6, p. 366.

idoneitate et requisitis Ill.mi Domini Transferendi dixit et depositus, prout infra, videlicet:

Ad 1.^{um} A 20 circiter annis novi Ill.mum et Rev.mum Dominum Stanislaum Witwicki, Episcopum Kioviensem, et hoc ea occasione, quia fui secum in Aula regia, et in eodem choro S.ti Ioannis, ubi est Canonicus, nullam secum habeo consanguinitatem, cognationem, affinitatem, aemulationem, initicitiā vel odium, nec ipsi sum nimium familiaris.

Ad 2.^{um} Constantissima est fama, quod sit consecratus et ni fallor interfui actui consecrationis, vidique ipsum pluries exercentem actus ordinis episcopalis.

Ad 3.^{um} A tribus circiter annis Episcopatum Kioviensem tenet, quod scio, quia processui de ipso in ordine ad Episcopatum facto interfui, et alias est notorium.

Ad 4.^{um} Ecclesiam et fere totam Dioecesim Kioviensem tenet Moschus, nec potest sine periculo ad Dioecesim Kioviensem accedere, imo iudico moraliter esse impossibile quod in illa exigua parte, quae remansit Episcopo, commorari posse, cum Praedecessor suus, qui per 20 anni rexit illam Ecclesiam¹¹⁵, nunquam ibi fuerit et tamen cum esset pientissimus, ita ut abdicaverit se ab omnibus dignitatibus, episcopali et senatoria, et Societatem Iesu ingressus fuerit, pro certo teneo nil omisisse, ut tentaret an posset obligatiōni residentiae satisfacere, et haec scio, quia sunt notoria, et praeterea quia notorium est loca illa subiacere incursionibus Tartarorum, Cosacorum et similiūm.

Ad 5.^{um} Quandoquidem Dioecesim non possit accedere, sic nec datur visitandi locus, credo ipsum munus suum adimplevisse per alios, ex quo mihi videtur diligens et accuratus in rebus suis, quod scio ex conversatione.

Ad 6.^{um} Hic Varsaviae pro Ill.mo Loci Ordinario¹¹⁶ vidi eum publice confirmationis sacramentum ministrare, ordinem conferentem, et saepe etiam missam pontificaliter celebrantem.

Ad 7.^{um} Video ego eum quotidie in nostra Ecclesia, vel celebrantem, vel Sacrum audientem, puto eum eleemosynas facere, quantum ad prudentiam, in ea valde abundat, quod scio ex conversatione.

Ad 8.^{um} Quantum ad Dioecesim Kioviensem non datur multa occasio exercendi zeli in tuitione iurisdictionis Ecclesiae, ob eius exiguitatem, quantum tamen attinet ad illam partem exiguum, quam tenet, credo illum omnime allaborare, quoad Ecclesiam Polonicam est bene meritus, eius libertatem, immunitatem et iura egregie sustinet, prout multoties ego audivi, cum essem in Comitiis Generalibus Regni.

Ad 9.^{um} Sine dubio ea doctrina pollet, qua posset alios docere, et quae in Episcopo est necessaria, quod scio ex longa experientia, quam habeo de sua persona, quodque audiverim ipsum concionantem.

¹¹⁵ Thomas Ujejski, epus Kioviensis a. 1656-1677.

¹¹⁶ Stephanus Wierzbowski, epus Posnaniensis.

Ad 10.^{um} Quod sciam Sanctorum Apostolorum limina non visitavit.

Ad 11.^{um} Possidet Abbatiam Płocensem Ordinis S.ti Benedicti, et hanc in commendam, Praeposituram Ołyckensem et Canonicatum Varsaviensem, utraque in titulum, Abbatia non obligat ad residentiam, sicut nec Canonicatus Varsaviensis, de Praepositura autem sum dubius, eaque omnia pacifice possidet. Valor Abbatiae aestimatur 20 mille florenorum [364v] monetae depravatae, et hoc anno etiam minus reddidit propter siccitatem nimiam. Quantum attinet ad Praeposituram, redditus illius annualis ascendit ad tria millia circiter, ex Canonicatu Varsaviensi non habet, nisi domum canonicalem, nec habet praebendam, solum distributionum esset capax, cum non interveniat in choro, tanquam Canonicus, quatenus auctoritate Apostolica praedictorum beneficiorum vel alterius eorum retentio concederetur, putem, quod hoc non cederet in damnum vel praeiudicium alicuius, an autem si concederetur Praepositura Ołyckensis, sum dubius, cum cura eiusdem Ecclesiae non sit mihi satis perspecta.

Ad 12.^[um] Dixi superius, quod Dioecesis Kioviensis pro potissima parte sit in manibus Moschorum, adeoque ibidem exercere non potuit ea, quae in interrogatorio petuntur.

Ad 13.^[um] Dignus est, ut existimo D.nus Kioviensis Episcopus, qui transferatur ex Apostolica gratia ad Ecclesiam Lucaeoriensem, quatenus illam vacare contingat, censeoque propter egregias animi dotes, eiusdem D.ni Episcopi translationem cessuram esse in magnum eiusdem Ecclesiae Lucaeoriensis commodum, valdeque utilem et proficuum.

Ita deposui pro veritate. Casim[irus] Sczuka, Abbas Paradisiensis mpp.

Die 5.a Januarii.

Examinatus fuit per Ill. mum et Rev.mum Dominum, quem supra et ubi supra.

Perillustris et admodum Rev.dus Dominus Sigismundus Otrębusz, Cantor Posnaniensis, Canonicus Varsaviensis, aetatis suae annorum 52, ut asservit, testis ex officio vocatus et per Dominationem Suam Ill.mam et Rev.mam secreto examinatus, qui delato iuramento veritatis dicendae, prout in manibus eiusdem Ill.mi et Rev.mi Domini tactis etc. iuravit etc. ad opportunas interrogaciones super idoneitate et requisitis Ill.mi Domini Transferendi dixit et depositus, prout infra, videlicet:

Ad 1.^{um} Cognosco Ill.mum et Rev.mum Dominum Stanislaum Witwicki, Episcopum Kioviensem, a 10 annis, ex quo ipse Aulam frequentabat, prout et ego, et quia etiam ab aliquibus annis est Concanonicus mecum in hoc Collegiata, non sum eius consanguineus, affinis, nimium familiaris, multoque minus inimicus, aemulus vel odiosus.

Ad 2.^{um} Non interfui consecrationi, vidi tamen bene eum pontificalia exercentem.

Ad 3.^{um} A tribus circiter annis Ill.mus Episcopus praesest Ecclesiae Kioviensis, quod scio ex causa praedicta.

Ad 4.^{um} Cum ipsa civitas Kioviensis a Moschis teneatur, et potissima Dioecesis pars sit in Moschorum manibus, consequens est, ut Episcopus non potuerit residere penes Ecclesiam et Dioecesim suam, residuum enim Dioecesis, quod liberum remanet, adhuc auditur adeo esse parvum, ut vix possit sperari, quod Episcopus ibi resideat. Ultra quod si ibi maneret, esset in periculo ob incursiones Tartaricas saepius contingentes, et si datus fuisse accessus ad Dioecesim praedictam, Episcopus antecedaneus moderni, vir sanctissimae vitae et exemplaris per tot annos, quibus Episcopatum tenuit praedictum, non est credibile, quod in ea non resedisset, quod autem Kiovia teneatur a Moschis, est notorium ubique prout in Polonia notorium, quod potissima pars eiusdem Dioecesis sit in manibus Moschorum, seu in ruinis.

Ad 5.^{um} Cum non detur accessus ad Dioecesim praedictam, ut est notorium, sic non datur locus eiusdem visitandae, nec ibidem decernendi, vel decreta executioni mandandi, quo vero ad illam partem, quam tenet Episcopus, non sum informatus, utrum visitaverit vel non.

Ad 6.^{um} Vidi ipsum saepe Varsaviae pontificaliter celebrantem, ordinationes habentem.

[365r] Ad 7.^{um} Quotidie fere ipsum video in nostro templo sacrum audentem aliquando celebrantem, et etiam bis vidi concionantem verbo et exemplo populo [.....]^{a)} et inter alia, in materia prudentiae et regiminis est excellens valde.

Ad 8.^{um} Quantum ad propriam Dioecesim cum administrationem non habeat, ob causam supradictam, non datur locus vel occasio rerum gerendorum, nec solus potest conservare aut protegere iurisdictionem suaee Ecclesiae, seu spiritualem, seu temporalem, quoad illam portionem, quae residua est, non mihi constat, quid ibi egerit. Caeterum iura suaee Abbatiae Płocensis strenue defendit, et agit pro viribus, et generaliter habeo ipsum pro viro zeloso iuris ecclesiastici tuendo, quodque si daretur occasio, non deesset Ecclesiae, quod autem dixi, quod defendat suam Abbatiam Płocensem, inde colligo, quod sciam illum venire ad Regni Tribunalia, et recenter pro isto negotio fuisse Petricoviae; caetera autem ex conversatione et notitia longa, quam habeo de ipsius Persona.

Ad 9.^{um} Ipse pollet omnibus fere scientiis, et quantum humana fragilitas nosse sinit, habet scientiam necessariam pro Episcopo, ad hoc, ut possit alios docere, quod scio non solum ex fama communi, sed etiam ex antiqua conversatione.

Ad 10.^{um} Per se Romae non fuit isto tempore, quo est consecratus, an alium miserit, mihi non constat, quod autem personaliter non fuerit, hoc est notorium mihi, et caeteris.

Ad 11.^{um} Illustrissimus D.nus Episcopus Kioviensis ultra Episcopatum possidet in commendam Abbatiam Płocensem Ordinis S.ti Benedicti, et ne-

scio an in titulum, an in commendam Praeposituram Olyensem in Dioecesi Lucaeoriensi, et Canonicatum Collegiae Varsaviensis, omnia pacifice et sine lite, utrum autem obligent ad residentiam, mihi non constat. Quoad valorem Abbatiae, mihi de eo non constat. [.....]^{a)} cum sciam ipsam esse inter Abbatias mediocres, inde iudico posse ascendere ad 12 circiter millia, ut communiter tales Abbatiae mediocres aestimantur. [De] Praepositura nihil mihi constat. Quantum ad Canonicatum Varsaviensem, puto, qu[od] per annum vix acceperit centum florenos, et hoc ultra domum canonicalem, quam inhabitat. Nullum praeiudicium esset si Sanctissimus concederet retentio nem omnium vel aliquorum praedictorum beneficiorum.

Ad 12.^{um} Nescio, quae decreta fuerunt apposita in bullis provisionis, nec an sint adimpta.

Ad 13.^{um} Ego iudico quod, si sequatur translatio Ill.mi Episcopi ad Ecclesiam Lucaeoriensem, id erit utile ipsi Ecclesiae, cum hic Praelatus sit doctus, dexter, versatus in rebus agendis, et accuratus, et pollet gratia et favore apud Regem, unde etiam appetet eius dignitas, quae omnia mihi sunt nota ex causis praedictis.

Ita deposui pro veritate. Sigismundus Otrębusz, Cantor Posnaniensis, Canonicus Varsaviensis, mpp.

^cSuprascriptis testibus et eorum dictis plenam fidem adhibendam esse censeo, et de transferendo bene existimo.

O[picius] Archiep[iscopu]s Eph[esinu]s^{c)}

[locus sigilli]

[f. 366r-367r] [*Stanislai Witwicki epi Kioviensis et Czernichoviensis fidei professio autographo signata*]

[Attestatio Nuntii]

[367r] ^c-Ego Opicius Archiep[iscopu]s Ephe[si]nus N[unci]us Apost[oli]c[u]s fidei professionem iuxta suprascriptam formam ab Ill.mo et Rev.mo Domino D.no Stanislao, Episcopo Kioviensi in manibus meis de verbo ad verbum emissam recepi, et ita testor manu propria^{c)}.

[Attestatio Notarii]

^d-In Dei Nomine, Amen. Omnibus et singulis quorum interest fidem facio et attestor ego infrascriptus, quod anno eiusdem Domini Nostri Jesu Christi milesimo sexcentesimo octuagesimo primo, die vero trigesima mensis Decembris, constitutus personaliter Ill.mus et Rev.mus Dominus Stanislaus Witwiski [sic], Epus Chioiensis, coram Ill.mo et Rev.mo Domino Opilio Pallavicino in Regno Poloniae etc. Nuntio Apostolico, flexis genibus et sacrosanctis Evangeliiis, [367v] quas p[re]e manibus habebat tactis medio iuramento supradictam fidei professionem de verbo ad verbum prout iacet in

manibus eiusdem Ill.mi et Rev.mi Domini Nuntii Apostolici emisit, praesentibus Perillustribus D.nis Ludovico Libert et Joanne Petit, eiusdem Ill.mi et Rev.mi Domini Nuntii Apostolici domesticis et familiaribus, testibus ad praemissa vocatis, habitis et rogatis. Actum Varsaviae in Palatio Nuntiaturae Apostolicae, die, mense, anno quibus supra et in fidem me subscripsi et meo solito signo munivi.

Locus signi Notarii.

Richardus Cody Notarius et
Cancellarius Apostolicae Nuntiaturae^{d)}

[368r] Praemissis omnibus et singulis ut supra gestis, ad instantiam eiusdem Ill.mi et Rev.mi Domini Processum clausum et sigillatum, concedendum duximus, prout per praesentes concedimus, decernentes praedictis omnibus et singulis tanquam rite et recte ac legitime gestis ubique locorum plenariam, et indubitatam fidem ab omnibus et singulis, in iudicio et extra adhibendam esse. In quorum praemissorum fidem et testimonium, praesentes manu Nostra, ac infrascripti Notarii et Cancellarii Nostri suprascriptas sigilli Nostri impressione communiri fecimus. Datum Varsaviae ex Palatio Nostro Apostolico, die decima Januarii 1682.

(c-O[picius] Archiep[iscopus]s Ephes[inu]s N[uncius] A[postolic]us^{c)}

Locus sigilli

^{d)}Et quia ego Richardus Cody, Apostolicus Notarius et Ill.mi et Rev.mi Domini Opitii Pallavicini, Archiepiscopi Ephesini et Nuntii Apostolici Cancellarius, memoratae inquisitioni et testium examini per eundem Ill.mum et Rev.mum habitae, et receptae personaliter requisitus interfui necnon iuramenta testium praenominatorum solemniter fieri vidi et audivi, eorum dicta in his scriptis fideliter redigi. Idcirco hoc examen et totum hunc processum inquisitionis aliena manu mihi bene nota scriptum, subscripsi ac solito et consueto meo signo munivi. Actum Varsaviae in Cancellaria Nuntiaturae Apostolicae, die decim[a] Ianuarii 1682.

Locus signi Notarii

Richardus Cody, Notarius et Cancellarius qui supra^{d)}

a-a) *Charta deleta.*

b-b) *Linea subducta signatum.*

c-c) *Autographum nuntii.*

d-d) *Autographum Richardi Cody, nuntiaturae cancellarii.*

